

PRODUCERE SUBSTANTIAM?

§. II.

Duos esse producendi substantiam modos, alterum per creationem, alterum per generationem, extra controuersam est, tertius enim non datur. Quia est per terminos contradictorios, utpote productum esse aliquod ex nihilo, et non productum esse ex nihilo, illud creatum, hoc generatum dicitur. Equidem opera secundi et sequentium dierum ex praeeistente aliqua materia, utpote coelum et terra ex rudi et indigesta mole, Gen. I, 2. seqq. Psal. CIV, 5. 6. Sapient. XI, 18. vid. *B. Quensted. System. P. I. C. X. Sect. II. Q. 7. p. 33. seqq.* ex gleba terrae homo. Gen. I, 27. C. II, 7. et ex costa viri mulier Gen. II, 7. sunt producta. At vero, quia haec materia erat inhabilis ad has recipiendas formas, ut nullam plane vel habilitatem, vel potentiam naturalem, siue proximam siue remotam, sed tantum potentiam obedientialem habuerint, inde τὸν nihilō siue non enti plane aequipollebat. Unde Paulus Rom. IV, 17. scribit, quod DEUS creando vocauerit τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, *quae non sunt sicut ea quae sunt*, et Hebr. XI, 3. Πίστιν νοῦμεν κατηρητίδου τῆς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. *Fide intelligimus coagmentata esse secula verbo Dei, ita ut non ex apparentibus ea, quae videntur, facta sint.* Solent inde Theologi hic duplex facere nihil, alterum pure negatiuum, alterum inhabilitatis et indispositionis, ut creatio nihil aliud sit, quam *productio rei ex nihilo.*

§. III.

Quidquid vero ex habili aliqua praeeistente materia producitur, illud generatum appellatur. Etsi vero iudice *Dn. D. Buddeo* in *Elementis Philosophiae theoreticae P. I. C. 6. §. 9. p. 122.* generatio ita est comparata, ut quanto magis eius effectus admirandi sunt, eo minus ratio modusque intelligi ab ullo mortalium possit, in eo tamen plerique ex recentioribus conueniunt, sicuti omne animal viuens ex

A 3

Ouo